



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

III. Actione X. facta est publicè collatio locorum ab Agathone citatorum.  
Item locorum quibus hæretici sententiam ssum fulcire conabantur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15617**

sententiam suam fulcire conabantur.

IV. Fidei definitio ita concepta est à synodo, ut se fideliter suscipere professi sit & expansis manibus amplecti epistolas Agathonis & Concilij Occidentalis. In Prophnetico ad Constantinum patres recensent hereses damnatas auctoritate Principum & Romana sedis Pontificum. Quo exemplo Constantinum Pogonatum congregasse aiunt hanc synodum, illoque Legatos suos misisse Agathonem. Ejus auctoritati tribuunt definitionem fidei.

V. Heic deprehenditur suffragij prerogativa. Distincta cujusque partes in ea definitione. Pecunt à Pontifice confirmationem synodi. Quod factum à Leone secundo.

I. **O**VÆ facta observavimus in superioribus Conciliis, sequentia Oecumenica studiosissime amplexa sunt, & debitam sedi apostolicæ reverentiam detulerunt. Agebatur in Sexta Synodo de asserenda adversus novitatem à Cyro Phasidos deinde Alexandria Episcopo & Sergio Constantinopolitano præcipue inductam, duarum in Christo voluntatum, humanæ & divinæ, confessione. Hanc fidei sinceræ professionem, à Marciano Papa prædicatam olim, Agatho & tota Occidentalium Synodus confirmavit duabus epistolis ad Constantinum Pogonatum Imperatorem datis, ad eumque per Legatos delatis, qui Synodo Sextæ Pontificis nomine præfederunt. Legati, præsentate Constantino Imperatore & universali Synodo, jure primatus in ipso Concilij exordio de quaestione proposita retulerunt; & quam esset apostolicæ sedis sententia, epistolis illis comprehensâ, breviter significarunt; unius voluntatis asseritionem damnantes, & à Constantinopolitanis novitatis hujus rationem exigentes. Imperator deinde partes suas interposuit, ordinis judiciorum interlocutionibus suis immittens. Itaque cum Macarius Antiochenus, qui Monothelitarum sectam tuebatur, opinionem suam cum prioribus Conciliis & traditione majorum congruere contenderet, mandatum illi est ab Imperatore ut impleret exceptionis probationem. Relectis Conciliorum & patrum codicibus, hæretica Macarii fiducia, ejus artes, & falsitates, & *συντομῶν* detruncationes propalatae sunt, ipseque cum suæ hæreseos confortibus anathemati devotus. Christiana verò fides vindicata est juxta definitionem Agathonis Papæ; cujus epistolæ relectæ sunt Actione IV.

II. Sed Actione VII. (XIII. Febr. anni DCXXXI.) Legati recitarunt testimonia patrum qui duas voluntates & operationes prædicabant. Interrogati verò à Principe Georgius Archiepiscopus CP. & Macarius Antiochenus an consentirent definitioni Agathonis, petiverunt exempla relationis &

dilationem sibi concedi, ut loca citata cum codicibus qui in patriarchio erant conferre possent. Prima deinde mensis Martij die, interrogatus Georgius à Principe, retulit se, diligenti codicum collatione facta cum authenticis exemplaribus, cognovisse recitata in relationibus Agathonis testimonia cum sanctis patribus consona esse; ideoque se relationes illas amplecti professus est. In cujus sententiam discesserunt omnes Episcopi: qui epistolas Agathonis tanquam à Spiritu sancto dictatas per os sancti & beatissimi Principis Apostolorum Petri, & digito predicti ter beatissimi Pape Agathonis scriptas, se suscipere, duasque voluntates credere testati sunt. Anastasius Bibliothecarius, in vita Agathonis, postquam dixisset die XIII. Februarij relecta fuisse patrum testimonia prolata à Legatis, addit: *Sequenti die in eodem Secretario residente synodo unâ cum Principe, synodica sanctissimi Agathonis Pape relecta est, & ad singula comprobata, patrum dicta inserta.* Quam tamen locorum collationem prima die Martij factam fuisse Acta docent. Itaque apud Athanasium sequens dies significat, non decimum quartum diem Februarij, ut Binius existimat, sed sequentem confessus Concilij diem, qui incidit in primum Martij. Frustra itaque ex hoc Anastasij loco conatur injicere suspitionem in lectorum animos, ac si luxata essent Acta Sextæ Synodi, ut inde fidem conciliet depravationi quam conjicit à Græcis profectam in nomine Honorij Papæ. Sed hoc aliam controversiam respicit.

IV. Quare post accuratam illam disquisitionem, die XI. Septembris synodus fidei definitionem exemplo decessorum suorum sic concepit ut se fideliter suscipere & expansis manibus amplecti epistolas Agathonis & Concilij Occidentalis pro confessione duarum voluntatum profiteatur: *ἡ παροδοὶ ἀγία καὶ οὐκ ἐπιμιχθῆναι αὐτοῦ ὁ πῶτος δεξασθῆναι, καὶ ὑπὸ τῆς χειρὸς ἀποστασθῆναι τῶ ἀναφορῶν* Agathonis Papæ & ejus Concilij, utpote quæ cum synodo Chalcedonensi & Ephesina concorder. Quod uberius exequuntur patres illi in sermone prophnetico ad Constantinum; ubi recensent hæreses in Synodis Oecumenicis esse damnatas auctoritate Principum & Romanæ sedis Pontificum, scilicet Constantini & Silvestri in Nicæna Synodo, Theodosij & Damasi cum Gregorio & Nectario in Secunda Synodo, Celestini & Cyrilli in Ephesina, Leonis in Chalcedonensi cum Marciano Augusto & Anatolio, Vigilij & Iustiniani in Quinta Synodo. Illo exemplo Constantinum Pogonatum Sextam istam Synodum congregasse dicunt; quò Legatos suos miserit Agatho, arcis apostolicæ præ

Hæc sunt verba Demetrii Episcopi Prusians.

Vide supra lib. 1. cap. 13. §. 9. & 12.

AA. XVII.